



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Parergon De Causa, Cui Devs Haereses Esse Et Div Grassari permittat, &  
quis sit versus Catholicus, ex Vincentio Lirinensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

PARERGON DE  
CAUSA, CVR DEVS HAERE-  
SES ESSE ET DIV GRAS-  
sari permittat, & quis sit verus Catholi-  
cus, ex Vincentio Litinensi.

**M**Oyses inquit: Si surrexerit in me-  
dio tui Propheta, id est, magister in  
Ecclesia constitutus, aut qui somnium  
se vidisse dicat, quem discipuli vel au-  
ditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitran-  
tur, non audies verba Propheta illius. Sed quare  
oro te, à Deo non prohibetur doceri, quod à Deo  
prohibetur audiri? Quia, inquit Moyses, Tentat  
vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum di-  
ligatis eum an non, in toto corde & tota anima ve-  
stra. Quae cum ita sint, ille est verus & Germanus  
Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam,  
qui Christi corpus diligit, qui diuina religioni,  
qui Catholica fidei nihil preponit, non hominis cu-  
inspiciam auctoritatem, non amorem, nõ ingenium,  
non eloquentiam, sed hæc cuncta despiciens, & in  
fide fixus & stabilis permanens, quicquid uniuer-  
saliter et antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuis-  
se cognouerit, id solum sibi tenendum credendumq;  
decernit: quicquid verò ab aliquo vno, præter om-  
nes & contra omnes Sanctos (patres) nouum &  
inauditum subinduci senserit, id nõ ad religionem,  
sed ad tentationem potius intelligat pertinere, me-

mor Apostolici dicti ad Corinthios prima cap. ii.  
Vbi inquit, Oportet esse hereses, ut probati mani-  
festi fiant in vobis: ac si diceret, ob hoc hereseon au-  
thores non statim diuinitus eradicantur, ut proba-  
ti manifesti fiant, id est, ut unusquisque quam tenax  
& fidelis & fixus Catholica fidei sit amator, appa-  
reat. Quae cum ita sint, mirari satis nequeo tantam  
quorundam hominum vesaniam, tantam excaca-  
ta mentis impietatem, tantam postremo errandi li-  
bidinem, ut contenti non sint tradita semel & ac-  
cepta antiquitus credendi regula, sed noua ac noua  
in diem querant, semperq; aliquid gestiāt religioni  
addere, mutare, detrahere, cum Diuina clament  
oracula: Ne transferas terminos quos posuerunt pa-  
tres tui: Et, super iudicantem ne iudices: Et scin-  
dentem sepem mordebit serpens. Et Aposto-

Prou. ii.  
Eccle. 8.  
Ecclef. 10.  
1. Tim. 6.

lus: O Timothee, depositum custodi,  
deuitans prophanas vocum  
nouitates &c.



SVMMA